

Mundana
pereunt.

Homines
rebelles.

Infantes
accisi.

Summa.

CAPUT DECIMUM TERTIUM

Ex vers. 16.]

I. Pereat Samaria] Mundus & omnia, quae sunt mundana, pereunt, etiam ipsa regna & potentissima Monarchia Dan. 2. & 7. Obadj. v. 4. Amos 9, 3. Nahum 3, 7.

II. Qui rebellavit contra Deum suum.] Causa omnium poenarum est peccatum, & confer hic inter se Dei iustitiam ac potentiam cum idololatriarum, aliorumq; JeopáXov nequitiam & amentiam. Ille in caelo tutus sedet ac ridet Ps. 2. hi tremunt & fremunt frustra, & malunt interire, quam ei servire.

III. Parvuli eorum allidentur] De infantibus ita occisis vide quae in hunc locum habent Lutherus, Gualtherus, Pareus, Gesnerus, Meisnerus, & dum tenerae aetati non parcis, tibi cavere & in tempore prospicere memineris.

CAPUT DECIMUM- QUARTUM.

Argumentum.

Quum haecenus maximam partem Hoseas flagitia populi Israelitici reprehenderit, ac poenas imminentes denunciaverit, nunc promissionibus Evangelicis Conclufurus, ad mala saepius indicata evitanda, & promissiones, quae jam proponuntur, amplectendas compendiosam viam ostendit poenitentiam, eamq; seriam ac veram, qua ad Deum solum se homines convertunt, & ab omni idololatria averteunt, ad quam agendam ubi graviter est hortatus, Deum ipsum eos ad eandem amplissimis promissionibus vocantem introducit, ubi malum se ablaturum, & omnis generis bona col-

latur.